

MAGNIFICUM
&
AMPLISSIMUM SENATUM

NEC NON
SUMMA ET PLURIMUM REUERENDOS VERBI
DIVINI MINISTROS,

&
OMNES REI LITTERARIÆ *PATRONOS, FAUTORES*

&
AMICOS,
VIROS ERUDITOS ET CIVES,

VT
SOLEMNEM INTRODUCTIONEM

DN. DN.
IOHANNIS CHRISTOPHORI MULLERI,
NOVI CON RECTORIS,

ET
IOHANNIS SAMUEL IARI,
NOVI SUB RECTORIS,

IN GYMNASIUM

CRASTINA LUCE MARTIS

D. XIV. SEPTBR. MDCCLXXIX.

HOR. IX. MATUTINA AUDITA,
SUA SPLENDIDA ET EXOPTATISSIMA
PRÆSENTIA

BENEVOLE ET LUBENTER

COHONESTARE VELINT,

OMNI SUBMISSIONE ET OBSERVANTIA,

QUA PAR EST,
ROGAT, PREGATUR,

ET
PUBLICO NOMINE

INUITAT,

ADAM DANIEL RICHTERUS,
DIRECTOR GYMNASII.

ZITTAVIAE LITTERIS FRANKII.



Quoniam, quod subito scribam, non habeo, placet iam sententiis sapientum manum accommodare & excerpta quaedam exponere de quaestione: num & quantum licitum sit iudicare de aliis? Hominem enim per lapsum ab integritate sua prima immutatum esse, experientia nos satis docet, quod quilibet singulis diebus, si sollicitus ad sua cogitata, uerba & facta attendat, naeuos suos deprehenderit. Quia autem ad diiudicanda uitia aliorum procliues sumus, prudentia omnino requiritur, qua despiciamus, quanam potissimum uitiorum genera in proximo diiudicare licitum sit. Sermo autem est de uitiiis moralibus, quia physica uitia defectus sunt, quorum immutatio & correctio non penes nos est, quum nobiscum nascantur, aut saepe sine culpa nostra, uel tamen casu & ex improviso praeter uoluntatem nostram acquirantur, ut itaque eiusmodi uitia partim naturalia, partim mala sorte suscepta sint, & propterea diiudicari non debeant.

Quoniam autem homines in perfectionibus moralibus differunt, hinc intellectu difficile non est, cur praesertim ambitiosi homines, qui suas perfectiones cognoscunt, aut nouisse putant, tam procliues sint ad carpenda in proximo suo uitia, saepe quidem leuiora, cum naeuos aliorum ex sua mensura aestimare audeant. Procul enim sunt calumniatores plebeii & mali homines, qui honestis admonitionibus digni non sunt. Loquimur autem non modo de iudiciis mentis animo reconditis, sed etiam praesertim de illis, quae homines usitato de aliis manifestant propalantque, ut inde eo melius

uideamus, quid in uitiiis aliorum non iudicandis solum, sed manifestandis etiam rectum, uel quid contra magnum peccatum sit. Primum nempe Deus nobis facultatem dedit ad res, prout se sistunt, cognoscendas, ut sic omnino Dei uoluntas fuerit, ut, in uitiiis hominum diiudicandis, illis etiam uitium imputemus, qui ipsi in causa sunt, ut his suis uitiiis maculati sint. Proinde non contra iustitiam in proximum est, si quis alterius cuiusdam sortem de stolidis ipsius consiliis, aut de pigritia & segnitia, uel uita male acta testari agnoscit, modo ut non uitia, quæ uelit, quæ autem non sunt, aut etiam ex relatione aliorum uitia putet, quæ non prius ipse, an alteri insint, expertus est.

Hæc iudicia autem si licita & recta esse debent, porro requiritur, ut illis manifestatis nostra & aliorum felicitas non impediatur, sed potius, quantum fieri potest, promoueatur, quia Deus in homine condito fines suos ad felicitatem eius constituit.

Deinde rectum omnino esse uidetur, iudicare de aliorum uitiiis, ut sic cognoscant, quæ in se emendare, & a quibus sibi in posterum cauere debeant, ne recta tandem, qua ire debemus, prorsus excidant. Quia enim homo ipse ad seipsum sæpe non accurate satis attendat, ut nouerit, in quibus deficit, patet, nisi fallor, licitum esse diiudicari ab hominibus, ad cognoscendum & significandum, quæ alter in se ipso emendanda non ipse deprehenderit. Quæ tamen nostra iudicia ipsis quidem, si spes est, fore, ut nostris admonitionibus emendentur, non autem aliis, quum discesseris a uiris, qui ad illorum emendationem aliquid conferre possunt, manifestari debent, quia ista manifestatione ob dedecus illatum potius irritari, quam emendari soleant.

Immo nostra ipsa emendatio nunquam feliciter procedet, nisi ad alios, in quo deficiunt, attendamus. Inde autem sequitur, ut ille peccet, qui de aliis iudicat modo, ut suæ uanitati satisfaciatur, auarum puta de homine gloriæ adpetente & laudis auido, male industrium & ignauum de homine laborioso, madidum & ebriosum de sobrio & sicco.

Tandem etiam licitum est de aliorum uitiiis iudicare, si nobis ipsis, uel, quod magis est, si communi felicitati societatis nocere queant. Obligati enim sumus ad cauendum omnia, quæ tum publicam cum nostram felicitatem impedi-

re possunt. Quomodo autem cauere poterunt, quæ nociua non nouimus? Ut sic inde manifestum sit, quod etiam ex hoc sine reatum sit, iudicare de aliorum uitis, de quibus metuendum est, ne publice, uel saltem nobis noceant.

Minus autem caute faceret, si quis non uelit ad suam ipsius præmuniendam felicitatem eorum uitia detegere, & de illis iudicare, quorum amicitia aut opera uel ipse, uel alius suus amicus frui & uti cupiat.

Attamen uero non licitum est, uitia aliorum in rem suam uertere, puta auarum muneribus datis in partes suas trahere, quum sic ipse auaritiam, omnium uitiorum turpissimum, tua ipsius manu aleres.

Et quum non nisi aliorum ope felices euadamus, nemo autem alteri subuenire posset, si ipse, non salua Republica, aliorum fraudibus sua felicitate priuaretur, sequitur, ut sic etiam aliorum uitia propter alios iudicare reatum sit, damna, quæ inde ad confringendam salutem communem oriri possent, arcendi ergo auertendique. Ad quod quidem officium illi præsertim adstricti sunt, quibus cura incumbit, ut uideant, ne quid detrimenti Respublica capiat; ut etiam propterea tales uiri non laudandi sint, qui in eiusmodi uitis examinandis & diiudicandis mitiores se exhibeant.

Nunc autem ex his omnibus generatim concludendum est, iniustum esse, aliorum uitia manifestare, modo ut illi in contemptum adducantur, nec æquum esse, aliorum uitia manifestare, quando spes cessat emendationis, aut nullum damnum, quod ab illis metuendum sit, hac nostra emendatione euitatur, ut itaque multa cautione semper opus sit in diiudicandis aliorum uitis propalandisque, etsi in determinatione sua, ut nunc uidimus, utrumque licitum est.

Hoc præsumendo, sæpe quosdam in uita sua fuisse si non usque in scenam quidem productæ, tamen satis magnæ turpitudinis, etiamnum dicendum est, quod plerisque sapientibus in diiudicatione defunctorum placet, & in quod iam facta est magna discessio. Nil enim hic obstat prouerbum illud: de mortuis non nisi bene. Quum enim prouerbia ex opinione hominum nata sint, omnino sequitur, ut sæpissime ex parte fallant, ut igitur adcuratori indagatione nunc

opus

opus sit, ad cognoscendum, in quantum sententia huic pro-
uerbio subiecta ad rationem stare & uera esse queat.

Primum facile patet, quod hoc prouerbum in sensu ni-
mis generali falso sumi soleat, quum nouimus, quod nobis
ueritatis ratio in omnibus habenda sit, hoc prouerbum autem,
de mortuis bene dicere, quum contra ueritatem dicere præci-
piat, propterea non absolute capiendum, sed suis finibus circum-
scribendum sit. Cum enim haud iubemur uiuum quendam,
si sit malus, bonum dicere, & sic mentiendo uitiis illius atque
flagitiis uelificari, propterea multo minus in mortuis, si mali
fuerint, hoc facere obstricti sumus, siquidem in morte omne
etiam officium cessat, quod alteri, quum in uiuis esset,
præstandum erat.

Mortui etiam, qui in uita ita se olim gerebant, ut de illis
post mortem non nisi ueritatem offendendo benedici queat,
merito ipsi præsumuntur neglexisse, aut noluisse bonam fa-
miam post mortem, ut itaque male dicendo illis non fiat
iniuria.

Immo ueritas ad posteros propagari debet, & in exem-
plis defunctorum sæpe magna uis esse solet doctrinæ, ut sic
quoque hoc prouerbum: de mortuis non nisi bene; ge-
neratim haud reuerendum sit, aut per omnia ualere
queat.

Laudibus igitur fictis atque mendacibus ueritatem si
quis postponere audet, malus impostor est, & parui faci-
mus præsertim historicos, qui non, quod uerum est, de
mortuis consignant, sed partium studio calamum uenalem
gerunt, & bene de uiris dicunt, qui in uita tamen mala fe-
cerant. Nonne in Bibliis ipsis Dauidis adulterium & cædes
astuta, immo Salomonis, regis alioquin sapientissimi, pel-
lices enumerantur ad nos docendum, quod de mortuis non
ex adulatione, sed ex ueritatis studio dici & scribi debeat.

Et quoniam nouimus, neminem ita ad stuporem bru-
to dignum ulla disciplina coerceri posse, ut non sua, quæ
omnibus a natura concessa est, iudicandi libertate gaudeat, inde
homines operam dare debent, ut iudicium eorum, quos post
mortem suam relinquunt, de se olim tale sit, quale esse
cupiunt.

B

Hæc

Hæc pauca igitur sufficiant, ad probandum, quod prouerbium: De mortuis non nisi bene; non absolute uerum, & rationes illorum, qui de ueritate huius prouerbi generatim adfirmando disputant, futiles sint, quodque multi aliquod in hac & illa re nomen haberent, nisi illos umbra uitiorum preffisset.

Prouocant nimirum isti homines charitatem in mortuos, quum tamen officium charitatis minime postulat, ut de malo bene dicamus; prouocant malum, quod in defunctos uitandum sit, sed mendacium omnino etiam malum & uitandum est; prouocant famam proximi, quæ non lædenda sit, sed defunctus ipse famam suam læsisse non debu-erat; ut taceam, quod læsio non sit, si aperte fatearis de defuncto, quomodo se res habeat.

Etsi autem hoc prouerbium generatim uerum non est, tamen hoc amplius censeo, quod in diiudicandis defunctorum uitiiis æquitate omnino & singulari quadam prudentia opus sit.

Sic enim non ex æquitate actum, sed plane plebeium esset, a uitiiis naturæ, quibus defunctus in uita occubuerat, ad calumniandum occasionem fumere. Et quæ esset porro æquitas, si quis in summis uiris, quorum laudes post mortem omnino durant & diu duraturæ sunt, uitia, quibus forsan offenderint, audet quærere & retegere, ut sic quasi splendido foli maculas suas obiiciat. Immo contra æquitatem illi etiam peccare uidentur, qui monumenta ingeniorum & carmina sacra, a laudatissimis olim Theologis aut aliis piis & eruditis hominibus composita, sua ipsorum arrogantia adducti immutare, et, quæ ad suam sententiam pro seculi nostri genio praua & dura sint, in melius, ut dicunt, emendare solent. Et quum tandem de errore quidem, non autem de errante male dicendum sit, illi certe uehementer contra æquitatem faciunt, qui defunctum ob sententiam, in rebus quibusdam a sua ipsorum diuersam, sæpe indifferentem, cui, quum in uiuis esset, inhærebat, hæreticum culpant, & conuitiis sæpe acerbissimis proscindunt, sicque uirum, alias satis bonum, maculis nunc post mortem conspergunt.

Quia autem non semper prodest, quod rectum est & licet, sic omnino contra prudentiam & periculosum esset

esset, de defunctis quidlibet, quod uerum, semper dicere, quum superstites aut posterum eorum forsitan tales sint, ut nobis nocere possent. Multa igitur ut scias quidem uera esse, prodest, sed quia ueritas odium parit, pariter prudentia suadet, ut silentio saepe obtegas, quae noueris. Non enim satis prudenter dixerit, qui dixit: Oderint, dum uerum sit; siquidem homines etiam non admodum eminentes, immo saepe plebei & leuissimi homines magnis aliquando, immo eruditissimis uiris damno hoc & illo loco esse possunt.

Et sic ex his omnibus nunc elucet, quid de beneuola mortuorum memoria habendum sit. Calumniatores autem, qui siue de mortuis siue de uiuentibus iniuste detrahunt, innocentes dente improbo rodunt, & ueritatem nequissime ut nequissimi homines laedunt, apud omnes omnium malitiosissimi homines habentur, de quibus ex instituto filere uolui, quod emendationis capaces non sint.

Ne longior sim. Illud nuñc adiicio, Scholas & illarum Praeceptores a multis iudicari, non nisi meras Chimæras somniantibus. Nam ista hominum iudicia ex ignorantia earum rerum, quibus omnis uera doctrina iuentutis accrescit, & praecedentiae, qua Praeceptores digni esse & frui debeant, plerumque oriuntur. Sic clamitant indulgentiam Praeceptorum, qui uitiiis, quae domi nata sunt, in puero euellendis non sufficiunt, Orbilios autem & plagosos quoslibet, qui in flagitia discipulorum omni saeueritate, qua digna sunt, animaduertunt, caetera, quibus multi talpa saepe caeciores garrunt de eruditione Praeceptorum, de methodo docendi, de consuetudine & uita - -

Sed salua res est Praeceptorum in Schola, qui de sua bonitate, dexteritate, innocentia rectaque methodo docendi, nec non uita certi sibi que satis persuasi sunt, teste sui ipsorum conscientia. Praecipitur autem, ut quilibet ea facta, quae dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretetur, ita ut indigeant prudentia, qui Praeceptores istos innocentes per contumeliam opprimunt mendacem, quos igitur propter illam qui cauere uolent, recte facere semper ut studeant, uiros oportet scholasticos.

Cauebunt autem propter calumniam istos intempesti-
uos Scholarum iudices *noui Praeceptores nostri*, hodie
in *Gymnasium* nostrum introducendi, recte faciendo. Col-
legium enim scholasticum, quod mors Praenobilissimi &
Clarissimi Viri, M. *Christiani Frubauf*, Conrectoris Gym-
nasii nostri bene & optime meriti, interrupit, iam in integri-
tatem suam restitutum est, ista quidem deductione, ut Col-
lega Cymnasii V. de futuro cesset. *MAGNIFICO* autem &
AMPLISSIMO SENATUI urbis nostrae placuit, ut una-
nimi suffragatione *Dn. Ioannem Christophorum Mullerum*,
qui ante per undecim prorsus annos partes Collegae V. expleuit,
& nunc per quator annos muneri Subrectoris praefuit, in lo-
cum *Conrectoris* euexerint, & *Dn. Ioannem Samuel Iary*, per
quatuor annos Gymnasii Collegam V, Virum Clarissimum &
Probatum, nouum nunc Gymnasii *Subrectorem* constituerint,
duo Viros bene meritos & bene memores, quod neque ca-
lumniatores, neque adultores, sed discipuli Scholarum, praefertim post mortem nostram, nostri iudices futuri sint, quos-
que uehementer confido in Gymnasio doctrina & uita sua
utilissimos Praeceptores fore. Iubente itaque *MAGNIFICO*
atque *AMPLISSIMO SENATU* illud negotium mihi com-
missum est, ut iam laudatos Viros, *Dn. Ioannem Christo-
phorum Mullerum*, nouum *Conrectorem*, & *Dn. Ioannem
Samuel Iary*, nouum *Subrectorem*, crastina luce d. XIV. Septbr.
hora matutina nona audita, solempni maiorum ritu in *Gym-
nasium* introducam, Collegio Scholastico inducam, discenti-
bus autem Gymnasii ceu futuros suos Praeceptores sistam &
cominendem, ipsos infimul loquentes.

Ut igitur *Magnificus* atque *Amplissimus Senatus*, Reipu-
blicae Patres & Proceres Grauiissimi, Patroni & Maecenates Maxi-
mi, venerandi etiam Sacrorum Praecones, nec non omnes Eru-
diti, Fautores & Amici, illo die XIV. Septbr. hora IX. hanc so-
lemnitatem scholasticam, in Auditorio superiori habendam,
sua amplissima & honorifica Praesentia ornare, meque de
*modernis impedimentis, potioribus saltem, institutionis scho-
laesticae* breuiter dicentem, *Dn. uero nouum Conrectorem de
eruditione modesta* disputantem, & *Dn. nouum Subrectorem
de Scholis bonis, quarum scopus est aeternitas* loquentem, bene-
uole audire, denique amorem suum erga Gymnasium, ma-
gni aestimandum, benignissime testari uelint, demisse offi-
ciosissimeque rogo & precor. Zittau, PP. Domn. XV. p.
Trinitatis.

2015 4 011684